

tribus Euangelistis, inter quos nemo Ioannis insignitus fuit nomine. Alterum discernerebat a Ioanne Baptista, qui nusquam Apostolus, aut Euangelista denominatus est.

XXVI. Communior sententia tum mereretur calculum, si in inscriptione *Ευαγγελίου* Theologus diceretur. Hoc enim *Ευαγγέλιον* ideo conscripsit, ut ex professo, dataque opera, Cerinthum et Ebionem, diuinitatem Christi inficiantes, oppugnaret. Quod suo Irenæus, Hieronymus, alij, confirmant calculo. Et quamuis non pauca pro diuinitate Christi testimonia, etiam in Apocalypsi, prostant, ea tamen non satis esse uidentur, ut κατ' ἐξοχήν θεολόγος appelletur, siquidem talia etiam reperiuntur in Epistolis, nec non reliquorum Amanuensium, eorundemque diuiniorum, scriptis. Quod si dixeris, nomen *Θεολόγου*, quod *Ευαγγελίου* scriptio-  
ne consecutus erat, ideo saltem inscriptioni *Ἀποκαλύψεως* a Doctoribus esse insertum, ut indicarent, eundem esse *Ἀποκαλύψεως*, qui *Ευαγγελίου*, auctorem, tum quidem mirari subit, cur nunquam istud nomen inscriptionibus Epistolarum adiecerint, in primis, cum duae posteriores, teste Eusebio L. III. H. E. c. XXV. fuerint quondam *ἐν ἀντιλεγομένοις*.

XXVII. Quod si nostram profiteri liceat sententiam, non nego, Ioannem *Θεολόγον* posse nominari ob diuinitatem Christi, quam passim, et sigillatim in Euangelio adstruit. Nemo enim adeo rerum rudis est sacrarum, qui ignoret, uocem *Θεολογίας*, praeter alias significationes, illam Patribus denotare doctrinam, quae de diuina *τοῦ λόγου* natura exponit. Prostant eam in rem infinita fere exempla, a Valesio, Petauio, et, qui Petauium descripsisse uidetur, Suicero collecta, ut pluribus nunc cumulandis super federe facile possimus. Dixi uero notanter, *praeter alias significationes*. Solebant enim Patres uocem *Θεολογίας* laxius pariter accipere, et cum omnem generatim, de DEO, rebusque diuinis, doctrinam, tum uero speciatim eam, quae de Trinitatis *μυστηρίῳ* agit, ita denominare. Et huius quidem significationis exemplum quinque Orationes Gregorij

gorij